

U.M.
RUM
E
ÉINZIA
UM

DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio XLIX

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente,

JOACHIMO LITZMANN

Ruppinate Marchitâ.

Dominica XIIIX. post Trinitatis.

A. O. R. cl. Ic. III.

••••• HALLIS SAXONUM •••••

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegely*

V I R I S

Amplissimis, Consultissimis, usu Gravissimis,
prudentia Excellentissimis,
Integerrimis,

Dn. JOHANNI COSTIO Consuli Hallens,
dignissimo, Scholarchæ gravissimo, Sa-
linatori præcipuo, Hospiti benignissi-
mo, Fautori & Promotori suspiciendo.

Dn. JOHANNI LITZMANNO Sen. Con-
suli Reipubl. Ruppinensis meritissimo,
usu & ætate gravissimo, Parenti æter-
num devenerando.

Dn. CONRADO ZABELIO Reip. quæ est
Brandenburgi, in nova arce Camerario
fidissimo, Affini honoratissimo, Everge-
tæ colendo.

Dn. CHRISTIANO Bergeman / Senatori in
incluta civitate Consultissimo, Medica-
mentario præstantissimo, Avunculo
oculissimo, Promotori & Fautori co-
lendo.

Dn. DANIELI LITZMANNO judici Gran-
soviensium Severissimo, Agnato & Affi-
ni charissimo, Favitori non postremo.

Dnn. Mecænatibus, Parenti & Promot.

hoctirocinum

offert & sacrat

RESPONDENS,



ANALYSIS
EVANGELII
*DOMINICA XIIIX. POST TRI-
 NITATIS.*

Matth. 22. à v. 34. ad fin.

Περὶ ἀλιτρῶν.

Abet Rex & Propheta David
Psalm. 84. v. 8. doctores benedi-
cionibus operiuntur & progredi-
untur de victoria ad victoriam,
ut videatur Deus Deorum in Sion. Id quod
non de temporali, sed de spirituali intelligen-
dum est victoria. Quod vel maxime manife-
stum est in Christo, uti inter cætera etiam te-
statur præsens pericopa:

THEISIS I.

In qua habetur partim charitas seu
 legis compendium, cuius occasio est Pha-
 risorum

Oo

rismorum

466

risorum congregatio. v. 34. In quo subje-
ctum absolute quoad causam: Pharisæi au-
tem. Qui quales fuerint, sèpius dictum est,
nempè primaria secta erat iudeorum, dicta ita
ab Hebræo פֶּרֶשׁ quòd exponere seu separare
significat, quod interpretarentur legem, & pro-
pterea sanctimonia laudem sectarentur, uti
habet Joseph. lib. 2. de bello cap. 7. & Epi-
phanius lib. 1. contra hæreses. Ut discamus
semper in Ecclesia fuisse, & etiamnum esse
schismaticos & hereticos, uti habetur Matt.
24, 31. Unde Augustin. Epist. 50. Ne te, in-
quit ad Bonifacium, talia perturbent, hæreses
enim & scandala futura sunt, ut inter inimi-
cos erudiamur, ac sic & fides & dilectio nostra
possit esse probatior.

2. Conditionatè quoad causam im-
pellentem: quum audivissent, quod os ob-
thurasset Sadducaeis. Ut qui anteac cù ipfis de
resurrectione mortuorum disputarat, & satis
eos refutarat: hoc enim iudicat vox Ἐφίμωσις
quod quasi capistro os obligarit, uti Eustath. in
Odys. ult. exponit, & Hesych. Plin. lib. 18.
c. 19. fiscellis capistrare interpretatur. Ita so-
lidè ergò & efficaciter refutavit, ut quasi elin-
guès reddiderit, dum eos ad silentiū adegit, uti

Syrus

467

Syrus explicat. Sadduciae autem fuerunt disci-
puli Zaddoki, uti habet Hieronymus c. 44.
in Ezech. ubi inquit: Si scivissent Patres no-
stri, quod futura sit resurrectio mortuorum.
non ita docuissent, vel ex ignorantia, vel ex
malitia putarunt ac si nulla esset resurrectio
mortuorum, qui propterea etiam negarunt
Angelos & spiritus hoc est anima hominis im-
mortalitatem, uti docet Joseph, lib. 18. an-
tiq. c. 2.

3. Quoad prædicatū per effectum: conve-
nerunt in unū. Ut deliberationem inter se in-
stituerent, & quisq; presenti consilio subveni-
ret. Convenire itaq; debuerunt, quia consili-
um absq; conventu personarū quarundam in-
iri vix potest, uti & ipsum nomen cluit: & licet
varia attulerint consilia, quia tamen adversa-
ta fuere Deo consultori maximo, fruerunt fru-
stranea, Prov. 21, 30.

4. Et disputatio quoad opponente,
quod facta sit interrogando tentatio. v. 35.
In quo prædicatum: Et interrogavit. Non
discendi causa, sed tentandi gratiā, neq; ex af-
fectu simplici, ut ait Orig. hom. 23. in Matth.
Quamvis Augustin. lib. 2. de consens. Evan-
gelistarum c. 23. non accipiat malam, tanquam
decipere volentis inimicam, sed cantam potius

468

tanquam experiri volentis interrogationem,
tamen ab initio vitiosa fuit interrogatio.

5. Subjectum, quod describitur absolu-
tè in genere: unus ex eis. Nempe ex Pha-
risais, cum obthura fasset os Sadducais, cui forsan
commiserant cæteri provinciam interrogandi.
Ut quemadmodum antea suos discipulos &
Herodianos alegaverant, quò captiosam qua-
stionem de censu Cæsari dando proponerent, ita
hoc loco ex numero collegarum suorum adhi-
bent modo unum, per quem Christum adorian-
tur: alias enim à tuȝia orta fuisset, si simul à
multis oppugnaretur. Et ut majore cum dede-
core vinceretur, unus tantùm alegatus est;
ita author imperfecti operis habet hom.

42. Dicebant apud se, unus loquatur pro omni-
bus, & omnes loquantur per unum, ut, si vice-
rit, omnes videamur victores, si autem vicitus
fuerit, ut solus sit confusus.

6. In specie: legis doctor quispiam.
Sive scriba, assessor synedrii ex numero Pha-
risæorum, maximè idoneus & exercitatissi-
mus, per quem palmam sperabant. Forsan quia
sapienciam Christi maximè scrutabatur, eamq;
collegis suis deprædicabat. Ita sàpè invenium-
tur ministri alienæ nequitiae, quamvis hic scri-
ba postmodum ad saniorem mentem redierit.
& Chri-

¶ Christo testimonium dederit, quod sapienter & cordate responderit.

7. Conditionatè quoad causam finalē: tenans eum, & dicens. Hoc est, Christum confundere & pudefacere studebat, respectu scilicet Phariseorum. Matthæus quidem ait, tentando illum quasi visse; Marcus verò aliter: sed est consonantia, uti ait Chrysostomus hom. 32. in Matthæum. Tentando enim incepit, sed cum ex responsione Christi nonnihil utilitatis perceperit, jure laudatur. Atq; ita non tam ex intentione causa secundariæ, quam principalis estimatur. Quicunq; igitur novit & interrogat non voto discendi, sed studio cognoscendi, an neverit ille qui responsum est: in similitudinem Phariseorū non quasi discipulus, sed quasi tentator accedit, habet Hieronym. lib. 3. in Matth. c. 22. & quod addit Ardens, interrogat, non ut instruat, nec ut instruatur, sed ut suam ostentet peritiam & alterius derideat simplicitatem. Non quasi omnes interrogations sint mala, sed quod multæ sint inutiles & insidiosa, circa quas non debemus insani-
re, 1. Tim. 6, 4. quia sunt futilles, Tit. 3, 9.

8. Et compellatio. v. 36. In quo ab honoris titulo benvolentiae captatio: Magister, Id est, Preceptor, uti Syrus transtulit,

O o 3 quasi

470

quasi diceret: Doces populum tota die, Necesse est igitur, ut habeas scientiam legis divinitus nobis traditae: specimen exhibe, ut ita titulus Magistri & Praeceptoris sit honorificus, licet respectu Pharisaorum fuerit ironicus.

9. Et interrogatio formata à comparatis, in genere: quod est mandatum magnum? Non quod aliquod sit parcum: quia omnia, quæ Deus mandavit magna sunt, ut habet Hieronymus in hunc locum. Sed, quemadmodum Marcus explanat, quodnam sit maximum sive primū, quia positivus iuxta Hebraismum sāpius ponitur pro superlativo, Gen. 42,3. Paral. 12,4.

10. In specie: in lege. Quia vox nōs sive legis peritus quarebat. Videbatur enim Christus homines à Moyse abducere ad novam scripturam: ideoq; volebant ipsum ad Mosen retrahere, ut invitus fateretur in Moyse perfectam divinæ voluntatis normam esse. Potissimum cum tūm temporis maxima controversia & maxima requireretur notitia omnium mandatorum. Numerabat autem 613. præcepta legis secundūm numerum literarum in decalogo, quæ dividebant in affirmativa, quorum 248. secundūm numerum ossium hominis, & negativa, quorum 365. secundūm

NUM 8-

numerum tunc in anno. Ex numero praceptorum igitur proferre omnium primum & maximum, non erat cuiusvis, sed ejus potissimum, qui exercitatissimus. Interim discimus, quod habet author imperfecti operis hom.

42. maximum eos interrogasse, qui nec minimum observarunt, similes illis, qui alta & subtilia querunt, & communia ignorant & non intelligunt. Atq[ue] ita, monente Cass. l. II. c. 53. multi vocant Dominum, cui servire nolunt, multi Magistrum, cuius doctrinam despiciunt, Doctorem cui contradicunt; Multi vocant Patrem & veram dilectionem non exhibent, multi amicum, quem oderunt; multi extollunt virtutem verbi & eidem moribus adversantur.

II. Quoad respondentem, distinctim respectu Dei est dilectionis allegatio. v. 37. In quo causa efficiens: Ait illi Jesus. Nempe prompte & sine mora, non respectu sui, ut suam in lege peritiam demonstraret, seq[ue]ntia ad docendū paratum ostenderet: sed 1. respectu scribae, ut eū ad ubiorem veritatis cognitionē duceret.

2. Respectu turbae, quo ipsam doceret, & 3. Respectu Pharisaorum, ut ipsis pari ratione os obstrueret; Et deniq[ue], ut scopum & summam totius legis nobis monstraret. Unde author im-

472

imperfecti operis hom. 42. inquit: Iudei diversis interrogationibus Christum tentantes sibi quæsiverunt interitum, nobis vero salutem; nam verba Christi illis profuerunt ad confusione, nobis vero ad edificationem.

12. Et res ipsa quoad totum, respectu præcepti: Diliges. Desumit responsionem ex lege, quia quæstio erat de Moyse, inde dicit: Diliges. Dilectio enim radix omnium virtutum est, uti testatur Gregorius lib. 10. mor. c. 4. Et charitas quasi chara unitas, dum nos unit.

13. Quoad objectum: Dominum Deum tuum. In textu Mosaico est nomen, τὸ εἶδος ματρὸν Yehova, quod non nisi soli vero Deo competere, in aprico est; quodq; septuaginta interpretes per οὐεὶς reddiderunt, quæ vox primo ac principaliter itidem de solo vero Deo usurpatur, i. Corinth. 8, 6. Ephes. 4, 5. Et alibi dicitur Deus tuus, qui creavit te, qui adhuc conservat, qui omnis generis beneficis te ornavit, qui ab omni malo te custodit. Unde August. l. i. de moribus cathol. c. 8. inquit: Non dubium est, quin is sit finis, qui nos summo amore diligit, dum nos jubet: Diliges Dominum tuum. Unde discimus, quod alibi allegat, legem legē carere non posse, simulq; quod,

quòd sit controversiarum judex, quòdq; non
semper singula verba sint necessariò alleganda.

14 Et quoad modum, respectu affe-
ctus: in toto corde tuo. *Cordis autem appella-*
tione, uti habet Gregorius Nyfenus l. de
op.c.8.crassius illud corporis temperamentum
venit. Id quod explanat author in opere
imperfecto: *Deum toto corde diligere est, ut*
cor tuum non sit inclinatum ad alterius rei,
quam ad Dei amorem, non in honoribus, non
in auro, non in possessionibus, non in animali-
bis aut mancipis, non in ornamentis, aut ve-
stibus, non in filiis, aut parentibus, aut amicis,
sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut pro
bis omnibus Deum ames, Exod.28,8.Psal.90,
12. si autem in aliquo honore vel auro animus
fuerit occupatus, jam ex toto corde non amas
Deum. Quia verò hic disjungitur cor ab ani-
ma, rectius intelligitur affectus & appetitus ra-
tionalis, quo sensu hac vox accipitur Deuter.
4,29.

15. Respectu appetitus tum sensitivi: in
tota anima tua. *Quid autem est in tota ani-*
ma diligere? id est, certissimum animum ha-
bere in veritate, & firmum esse in fide. Amor
anima verò intelligitur, quia amor animæ in-
dicium ejus est, uti habet author imperfecti

O o s operis.

474

operis. Et discamus Deum esse diligendum,
quia est summum bonum, ut ait Aug. lib. I. de
morib. c. 8. Quia est summum ens & princi-
pium & finis omnium rerum. Ideoq., inquit
August. in manuali, Dilige illum anima, a
quo dilectus es, intende illic qui intendit hic,
quare querentem te, ama amatorem tuum.

16. Dum respectu virium: in omni
virtute tua. Non enim perfecte Deum diligere
quis potest, nec legem adimplere. Iubet itaq. ue-
bomo omnes nervos intendat ad dilectionem
Dei, ut, quantum erit in viribus suis, Deum
diligat.

17. Et præcepti cōmendatio. v. 38. in quo
argumentū à quanto discreto numero: Hoc
est primum. Primum ratione scilicet objecti,
quia Deus in hoc mundo est primus; & ratione
debiti, quia Deus cæteris omnibꝫ est preferen-
dus; & ratione præstantiae, quia requirit dilec-
tionem, quæ omnibus virtutibus est præstan-
tior, i. Corinth. 13, 13. Primum est, non ordine
scripture, quod habet Origenes, sed dignita-
te virtutis.

18. Et à quanto continuo: & magnūm an-
datum. Sive, uti Syrus habet, maximum rati-
one 1. amplitudinis & capacitatis, quia omnia
reliqua continentur hoc mandato: omne enim
man-

mandatum de dilectione est, uti ait Gregor.
2. ratione finis, quia hic est ultimus scopus,
omnis enim præcepti finis charitas est, uti ha-
bet August.in Zach.c.12,1.

19. Et comparatio.v. 39. in quo in ge-
ne ratione ordinis : alterum. Quia aquæ
est de re magni momenti, adeoq; simile priori.
Quia 1. uirumq; ab eodem autore profici-
tur. 2. quia eandem habet necessitatem ac pri-
mum. Et dicitur secundum respectu ordinis,
scilicet post Deum, dum contrahit omnia præ-
cepta reliqua.

20. Et ratione qualitatis : est simile
huic. 1. ratione obligationis, 2. ratione pœnae.
Interrogatus quidem tantum de primo & ma-
ximo mandato, sed etiam in responsione secun-
dum recenset. voluit quippe totam & univer-
sam doctrinam de maximis mandatis absolve-
re, & simul hypocrisim Pharisaorū perstringere.

21. In specie quoad totum, ubi man-
datum: Diliges. Id quod iterum repetit, quia
dilectio Dei & proximi sororio quasi vincula
sunt combinata; qui enim diligit Deum, dili-
git etiam proximum; est autem illud præce-
ptum desumptum ex Levit. 19.18.

22. Et objectum : proximum tuum.
Quo nomine non Christus intelligitur, sed qui-

476

vis homo, & incognitus etiam inimicus, sicut
August. Epist. 52. explanat, dum inquit: pro-
ximus non sanguinis propinquitate, sed ratio-
nis societate pensandus est, in qua socii sunt ho-
mines. Quod probatur 1. ex ipsis verbis legis
Mosaicae: In fontibus enim talis dictio legitur,
quaे propriè illum significat, qui simul cum aliis
pascitur & educatur. Unde & Targum red-
didit, per quem vis hominem. Et septuaginta
interpretes per τὸν οἶνον declararunt, id quod
quemlibet propinquum denotat. 2. Ex paralle-
lis V.T. locis, ut Exod 23,4. ubi etiam de ini-
mico dicitur, & Deut. 22,1. 3. ex declaratio-
ne in N.T. Matth. 5,44. Luc. 6,32. Etiam ob
id, quia dilectio proximi est complementum
dilectionis divinae. Et, quod habet author im-
perf. operis hom. 42. in Matt. Deus in homi-
ne vel diligitur, vel odio habetur, nō potest ho-
minem odisse, qui Deum amat, nec Deū amare,
qui hominē odit: siquidem si fratrē, quem vides
non diligis, quomodo potes Deum diligere, quē
non vides 1. Joh. 4,20. dum una continet cau-
sam impulsivam, quaе est: proximus tuus. Invi-
tat ergo nos ad dilectionem proximi, non tan-
tum præcipientis autoritas, sed & nostra cum
Deo conformitas, & charitatis dignitas.

23. Quoad modum: sicut te ipsum.

Id

*Id quod Syrus expressit: sicut animam tuam.
Non igitur dicit, diliges proximum ex toto corde,
quia hæc dilectio debetur Deo; neq_z dicit
propter te ipsum, neq_z plus quam te ipsum, neq_z
infra te ipsum, sed sicut te ipsum. Ubi particula
sicut respicit i. dilectionis finem. Diligamus
propter Deum, & juxta Dei voluntatem, ut
inquit Augustin. conc. 8. in Psal. 118. 2. Di-
lectionis materiam. Diliges sicut te ipsum, ut il-
li, sicut tibi ipsi, bonum exhibeas, malum vero
avertas. Ut discamus dilectionem debere esse
non fucatam & simulata, sed veram & sincerā,
& actuosam, ut habet Greg. hom. 38. in Ev.*

*24. Et conjunctim utriusque præcepti
exaggeratio. v. 40. In quo proponitur quo-
ad materiam summatim: in his duobus
mandatis. De dilectione nimirum Dei & pro-
ximi, quibus non datur majus, ut habetur apud
Marcum v. 31. Quamvis certa ratio etiam in
alterutro esse possit, quia alterius præcepti ob-
servatio, sine alterius esse non potest, quippe al-
terum altero includitur.*

*25. Explicatur de rebus: tota lex. Id
est, quicquid in Moysè continetur: quia ex dilec-
tione Dei leges ceremoniales colliguntur, &
ex dilectione proximi leges forenses, uti expla-
nat Hieronymus in cap. 5. ad Galat.*

26. De

26. De personis : & Prophetæ. Id est, quicquid à Prophetis respectu vita nostra traditum, etiam sub dilectionis titulo continetur. Non autem hic de Evangelii promissionibus, sed de legalibus præceptionibus agitur.

27. Et quoad formam : pendent. Seu continentur, si metaphorice sumatur ex eo, quod ea qua suspensa sunt, ab omnibus videri possunt, Deut. 28, 66. cum lex in omnibus nostris rebus unicè respicienda, sive sit metaphora à fasciculis desumpta, cum ea brevi quodam fasciculo contineantur, uti Paulus interpretatur Rom. 13, 9. Gal. 5, 15. si quidem omnia legis mandata in hunc locum referuntur & ordinantur. Duo quippe vitia nos quàm maxime sequuntur, mala doctrina & corrupta vita. Ne ergò absurdas statuamus, ditigendus est proximus, ait Theophyl. in c. 22. Matth.

28. Partim est Christus Evangelii fundamentū, ubi est disputationis actus, cuius interrogatio. v. 41. In quo tempus seu causa impulsiva : congregatis autem Pharisæis. Hoc est, cum questioni Pharisæorum à Christo esset satisfactum, ipsi in templo adhuc congregati starent.

29. Modus & causa efficiens : interrogavit eos Jesus. Si enim iudei estimantes

Chri-

Christum hominem tentabant, habet author imperfecti operis, voluit ostendere, eos etiam tentari posse. Neq; tamen Dominus interrogavit, tanquam discere volens, ut ait Aug. in Psal. 109. sed tanquam Doctor. Moverant illi questionem frivolam, infidiosam & otiosam; ergo Christus substituit fructuosam & necessariam de fine legis & intentione Prophetarum de Messia, Act. 16, 43. Et dum Pharisei interrogabant de summa agendorum, interrogat Christus iterum de summa credendorum. Ut discamus, in Christo absconditos esse omnes thesauros sapientiae; qui interrogat, ut ostenderet se plura scire, & ut eorum ignorantiam confunderet; dumq; hactenus sustinuit partes respondentis, modo etiam sustinet opponentes.

30. Et disputatio, ubi ad Christi interrogationem Phariseorum declaratio. v. 42. In quo interrogatio in genere: dicens, quid vobis videtur de Christo? Ubi verbum domini veram & constantem sententiam denotat, uti usurpatur Johan. 5, 37. & 1. Cor. 4, 9. Siquidem querit a Phariseis, qui scripturarum peritissimi haberi volebant, qua sic sententia eorum de Christo. Unde Syrus reddidit: Quid vos dicitis de Christo, qualem doctrinam de Christo proponitis? propterea addit, quid

480

quid vobis videtur? Vestrām cupio audire confessionē de Christo seu Messia. Nomen enim Christi hic ponitur non proprium, sed appellativum. Considera igitur diligenter atq; perpende, quia post multa miracula & signa, post multa responsa ultrò citroq; data, post argumenta equalitatis complura, post doctrinam verbo & operer utilantem, & post laudem illius, qui unum Deum esse afferuit: tandem interrogat occulius eos inducens, ut se Deum profiterentur, uti Chrysost. habet hom. 42. in Matth. Ut discamus, non illicitum esse rursus interrogatum querere.

31. In specie, respectu relati: cuius filius est. Id est, ex cuius familia & tribu nascitur? Neq; enim de proximo parente, sed de nativitatis stirpe querit; nec dicit in futuro, cuius filius erit? cum praesens sit, & cum iam eo ipso innuere voluerit, quod Messias præst̄it? Neq; ita querit uti ex discipulis, quid vobis videtur de me? Matth. 16, 13. quia non cum discipulis & amicis, sed cum adversariis, qui acriter negabante ipsius esse officium sive negotium, res ipsi fuit. Noluit igitur calumniandi occasionem præbere, sed generaliter quæsivit de Christo; Et propterea proposuit hanc quæstionem, ut argueret oscitantiam eorum, quod stu-

dio

dio legis tantum in eum berent, & promissiones de Messia intermitterent, in quibus cardo tam salutis nostra vertitur. Atq[ue] ita docet summam sapientiam consistere in Messia cognitio-
ne, i. Corinth. 2, 2, non in externis ceremoniis.
Necesse enim erat, cum eos de summa agendo-
rum ex lege instruxisset, ut etiam de summa
credendorum ex Evangelio instrueret, Joh. 17,
3. Et potius questiones fructuosas & utiles, non
otiosas & futilles esse movendas, doceret.

32. Et eorundem responsio: dicunt ei Davidis. Atq[ue] sic aperte sententiam pro-
ferunt ex scripturæ Prophetice autoritate, 2.
Sam. 7, 12. Paral. 17, 11. Psalm. 89, 4. Esa. 11, 1.
Jer. 23, 5. & ex communi Ecclesiæ Israelitica
consensu, Joh. 7, 42. siquidem Davidis filium
κατ' ἔξοχην vocabant Messiam, Matth. 12,
23. Et Davidis filium potius quam Adæ di-
cit, quod 1. sit non solum ex semine Davidis na-
sciturus, sed 2. etiam in regno successor ejus,
Luc. 1, 33. & quia 3. promissiones de Messia ad
Davidem factæ sunt plurimæ. Unde & Davi-
dis nomine Messias describitur Ezech. 34, 28.
Osl. 3, 5. Amos 9, 11. Et quod etiam 4. in patria
Davidis nasci debebat, Mich. 5, 2. Joh. 7, 42.
Et quia 5. ultima fuerat eidem facta promissio.
Quoniam ipsum nudum hominem opinaban-

Pp tur,

482

tur, ideo Davidis filium esse respondebant, non quidem male, sed tamen non sufficienter.

33. Et Christi confutatio seu explana-
tio, ubi ratiocinatio. v. 43. In quo per inter-
rogationem quærit modum: ait illis: quo-
modo autem David in Spiritu? Ideoque
ad ulteriorem inquisitionem veritatis eos inci-
rare voluit: Et ostendit, quod non tantum filius
Davidis, si quidem in Spiritu locutus, hoc est,
Spiritus Sancti afflatus, uti habet Theophyl.
in cap. 12. Marci. & colligitur ex Psal. 45, 2.

34. Et allegat relatum ab objecto: Vo-
cate eum Dominum? Filius siquidem non so-
let vocari à Patre Dominus, præsertim si Paren-
sit Rex potentissimus, secundum legem divi-
nam, Sir. 3, 4. secundum legem naturæ & aequi-
tatis. Ut igitur ostendat se non solum esse ho-
minem, & tantum ejus filium, inquirit.

35. Et confirmatio, ubi scripturæ al-
legatio. v. 44. In quo probatio, quod non
sit purus homo, sed in eadem persona vero
Deus, in genere ab appellatione, in qua de
Patre: Dixit Dominus. Id est Iehova; dixit
est q̄ fili⁹ veri Dei: per dixit quippe eternū Dei
decreta intelligitur, uti usurpatur Num. 14,
30. Et per decreta illius factum; quicquid
enim dicit Dominus id etiam facit, Gen. 1, 3.
Psal. 135, 6.

36. De

842

36. De filio : Domino meo. **Ubi au-**
tem Dominus habetur , simul de vero Deo in
scriptura intelligitur. Atq; ita Dominum su-
um appellat David, non per se tantum, sed toti-
us Ecclesie nomine , quia Psalmum illum, ex
quo minorem argumenti probat, Ecclesie publi-
cè decantandum tradidit.

37. In specie tum ab exaltatione : se-
de à dextris meis. Sedere enim ad dextram
Dei, est aequali potentia & majestate cum Pa-
tre cælesti regnare : Non enim corporalis est
aliqua dextra, quia Deus est Spiritus, Joh. 4,
24. Quo pacto vero, inquit Damascenus lib.
4.c.2. de orthodoxa fide, qui incircumscri-
ptus est, localem dextram haberet ? Neq; est
definirius alius locus, quia Deus habitat in
luce inaccessa, I. Tim. 6, 16. neq; est definita
potentia, quum dextra Dei sit ubiq; Psal. 139,
7. sed est thronus Majestatis, Hebr. 8, 1. uti
etiam explicat Basilius l.l.contra Gno. Et
quia Deus ubiq; præsens sit, ait Chrysost. c.35.
hom. 13. de cruce Dei. Ideoq; sedere ad dextram
Dei, est habitare in plenitudine honoris, gloria
& majestatis divinae, uti inquit Paulus Hebr.
1,3. Cum ergò dicat, sede à dextris meis, ostendit
ur exaltatio, Matth. 19, 28. & propterea se-
cundum humanam naturam (cum per divi-

Pp 2 nam

nam alias sit ipsa dextra & virtus Dei, I. Cor. 1, 24.) est intelligendum: quia 1. scilicet tempus collocationis hoc arguit, dum in tempore factum, Marc. 16, 29. 2. Descriptio illius collationis, ex Eph. 1, 19. 3. Dominii collatio, Act. 2, 26. 4. Exinanitionis & exaltationis connexio, dum dicitur de torrente bibere, Psalm. 110. v. ult. 5. Patrum testimonio: Ita enim Gregor. Nyssenus & Cyrillus lib. de recta fide ad Regin. qui inquit: Christus sedet ad dextram Dei in humanitatis conditione, & assumptione corpore. Et August. contra serm. Arian. c. 12. Illud sede à dextris meis in carne completum est efficaciter. Et quamvis etiam regnet quantum Deus, habet tamen illud per essentialē omnipotentiam: hoc v. per unionē personalem & exaltationem: qua quidem facta est in ipso incarnationis momento quo ad fundamentum, quo ad complementum vero & plenariam usurpationem in ascensione ad cœlos, Marc. 16, 19. Et quia sedet ad dextram Dei, ideoq; etiam Deus est, uti Cyrillus lib. 4. in Joh. c. 19. concludit, & Hilar. can. 23. in Matth. declarat. Atq; sic etiam juxta humanam naturam est Dominus Davidis.

38. Tum à regni continuatione, quæ describitur ratione objecti: donec ponam ini-

inimicos tuos. Qua particula donec cum sit continuationis, continet vim absolute affirmationis, quia regnum est aeternum, Psalm. 45,7. Et ponam, hoc loco profacere usurpatur Gen. 4,25. Per inimicos autem intelliguntur omnes, qui Christo & regno ejus adversantur.

39. Ratione effecti: scabellum pedum tuorum. Id est, plenarie & perfectissime tibi omnes hostes subjiciam, instar scabelli ut sint tibi omnes subjecti. Quam particulam adjecit, ut terrorem incuteret hostibus. Atque ita discimus, si disputandum de Christo, ex scriptura debere fieri.

40. Et ipsa argumentatio seu conclusio. v. 45. In quo per interrogationem ratiocinatur, cuius antecedens: si ergo David vocat eum Dominum. Id est, si fatetur, Christum esse Dominum suum seu Deum: hoc enim est καλεῖν, quod non solum vocare, sed etiam invocare significat, uti Syrus reddidit.

41. Et consequens: quomodo filius ejus est? Hoc est, quo respectu? qua ratione? nam scopus argumenti est, responsionem Phariseorum non falsitatis, sed insufficientiae arguere, ac crassam eorum ignorantiam convincere. Ita August. serm. 23,4. de tempore: non dixit, non est filius ejus, sed quomodo est filius ejus?

P p 3 42. Tam-

22. Tandem est exitus, ubi Pharisaeorū
sacitura obstupcfactio. v. 46. In quo esse-
stus seu consequens hujus disceptationis
partim quoad subiectū: Et nemo. Id est, nul-
lus Pharisaorū congregatorū in tanto numero.

43. Prædicatum definitè quoad respon-
sionem: poterat ei respondere quicquam.
Quia 1. non poterant distinguere inter divinā
& humanam Christi naturam. Et 2. quia non
notum ipse erat mysterium de Messia, ait Leo
ser. 8. in Nat. Dom. Ex ignorantia igitur scri-
ptrarum silentiū Pharisaorum originem tra-
xit, qui sicut in querendo fuerunt fatis frigidi,
ita in respondendo prorsus muti.

44. Et respectu ulterioris interroga-
tionis: neq; ausus fuit, quicquam ex eo die
interrogare cum amplius. Ut qui jam tertia
vice Phariseos & Sadduceos cum turpi ipsori
ignominia vicerat. v. 22, 34, & 46. Atq; ita
conticuerunt ex illo tempore, non sponte, sed
quia ita lethali vulnere perfoSSI, ut non ausi sint
cum amplius aggredi, ut ait Chrysost. hom.
x2. in Matth. Unde colligitur Christi potentia,
qui quando voluit, tunc finem imposuit.

NOTE.

I. Dilliges Dominum Deum tuum) Con-
sidera hoc esse mandatum magnum, ut
dili-

ut diligas Deum & proximum; ut discas aquæ
necessarium esse diligere proximum ac Deum.

II. **I**n his tota lex penderet) Considera in
dilectione Dei & proximi legem & Pro-
phetas consistere, hoc est, legem & Evangelium;
ut discas intrumq; servare, neutrum negligere.

III. **Q**uid vobis videtur de Christo) Con-
sidera cognitionē Christi aquæ requiri.
ut requiritur dilectio, ut discas, sine Christē
cognitione non esse salutarem dilectionem.

C A S U S.

An omnis deceptio prohibita?

Vldetur: 1. quia habetur hic quod proxi-
mus sit diligend⁹, ut quis se ipsum diligit:
Et I. Thesl. 4,6. Apostolus inquit: ne quis cir-
cumveniat fratrem.

2. Circumventiones jura permittunt. l. s. major. C. de rescind. Vend. l. memineris C.
unde vi. Panor. in c. i. n. 10. X de novi operis
nuaciatur.

3. Panam meretur. c. sedes. 15. in fin. X. de
Recip. c. 2. in fin. X. de dolo. Schurff. cons.
§ 2. cent. 3. n. 8. quia est delictum. l. de omnib.
1. §. 14. ff. de tut. & rat. Alex. in l. un. §. ult.
n. 18. ff. si quis jus dicenti non obtemp. De-
cian. vol. I. Resp. 32. n. 70. Nemo debet locu-
pletari cum alterius damno. l. 14. ff. de cond.
indebit. l. 6. ff. de jure dotium.

Con.

*Contra: 1. Stratagemata sunt licita, ex
Jof. 8, 2. Sam. 5, 25. quia jubemur esse pru-
dentes ut serpentes.*

*2. Ad iustitiam non interest, utrum aper-
ta pugnā, an insidiis viceris. c. Dominus. 23.
q. 2. l. 26. ff. de captiv. & l. ut vim. ff. de l. & l.*

*3. De dolo bono jura præcipiunt tit. de dolo
malo. ff. 4. Deceptione citra fraudem permis-
sa. arg. l. si voluntate 8. C. de rescind. vendit.
l. in causa. 16. ff. de munere. l. item si pre-
cio. 22. f. ult. ff. ibid.*

*Ad contraria: 1. Fall. cause. Nam jus aver-
satur circumventionem cum fraude. l. 3. f. ult.
ff. pro socio & l. eleganter. ff. de dolo malo.
l. si quis aliter. 36. ff. de oblig. ea taniū per-
missa, que citra fraudulentum consilium ex
injuria contigit, ne commerciorum usus impe-
diatur. arg. l. volunt. 8. C. de rescind. vendit.*

*Ad 2. Fall. 2dum quid: si absq. fraude sit,
si enim ea causam dederit contractui ipso iure
nullus. Gail. obs lib. 2. O. 2. n. 6. Ad 3. Fall.
3dum quid: si sit lesio ultra dimidiū. l. 2. C. de
rescind. vend. non ut rescindatur, sed ut ad
equilibrium reducatur data laudenti optione, ut
vet restituat & sumat premium quod solverit,
vel compenset lesionem. l. 2. ver. si emtor ele-
git. Pist. d. l. q. 23. n. 21. n. 1. Carpzov. Resp.
lib. 5. Resp. tit. 6. R. 53.*

Vestimenta ligat veluti nova fascia, firmat
Vestis & exornat tænia quosq; sinus.

Ut Sadduceis Deus ora ligarat in unum,

Tunc Pharisea cohors se sociare locum.

Unus & ex istis turbis interrogat ipsum,

Qui legis Doctor, tentat aitq; simul.

Mandatum summum quodnam die queso

Magister?

Quòd primum? nobis dicere queso velis.

Christus ait: Cor, vis anima, mens diligat ipsa

Tota tuum Dominum, diligat illa Deum.

Hoc est mandatum primum, subiecit Iesus,

Hoc praeceptorum, dixit & ipse, caput.

Post hoc huic geminum: sicut te diligis ipsum,

Sic & vicinum dilige queso tuum.

Ex his dependent mandatis quippe Propheta

Omnis, lex etiam pendet & inde sacra.

Ut verò Pharisea cohors se junxerat, illam

Tunc Iesus querit rursus & hocce modo:

Ecquid de Christo, tibi, gens Pharisea, videtur?

Est cuius proles? Illa Davidis ait.

At Christus contra: Sed flamine plenus eun-
dem.

Expressè Dominum qui vocat ipse suum?

Dixit enim Domini⁹ Domino, sit dextera sedes,

Hostes donec erunt posta scabella pedum.

Si vocat ergò suum Dominū patre natus Iesse

Ergò qui Dominus Filius esse potest?

Huic

Huic nemo poterat tunc respondere vel unum
Verbum. quin quisquam porro rogare nihil.
Talia proponit LITZMANNUS. Talia pergit!
Sic homini fieri tanta grata Deo.

testatur

GUINZIUS.

Interpretari ritè qui Legem DEI
potens, piusque divi dogma Messie,
Justi rigoris; & salutis cardinem
tentamen impudens Sophistici gregis
subite non fugit vocatus; at malos
rubore conscientiam suffundere
virtute verbi vincit: is, JESUM sancto
zelo secutus, Doctor & Vir Entheus
dici meretur omnibus. Felix proin
LITZMANNE, qui piè flagras in hoc caput,
vetus simul, novumque chartis promere
doctis amans; nam dehinc & inter cœlites,
sanctoque in orbe Te manet pulcer locus.

optat

Joachimus Bulsius H.M.

M Aetate his uoceo, famâ Litzmane perenni!
Theologia diu latices qui ritè cathedra
Gustasti, & specimen Doctrina mente sagaci
Fecisti, merito mage quod sic laudibus auctus.
GEORG-CHRISTOPH. DOCKHORN:

02 A 572
(1/2)

ULB Halle
003 808 483

3



VÖ 17

EV

CH R 15
H 33 C



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



ARUM
LICARUM
eo XLIX
SIDE
GUEINZIO
Hallensis
ore
dente,
ITZMANN
Marchitâ.
post Trinitatis.
o. Ic. III.
AXONUM
Melchioris Oel-
legely

